


Johannes Francke

**Joh. Franck, Mecklenburgensis. Dissertatio Anti-Abichtiana, Pro Genuino usu ...
& vero sensu verborum Es. IX, 5.**

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, 1710

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003413536>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1710

Franck, Joh.

719.
No. 44.

41

JOH. FRANCK,
MECKLENBURGENSIS.

DISSERTATIO
ANTI-ABICH-
TIANA,

PRO

*Genuino usu וְכֵן טַעְמִים & vero sensu ver-
borum Es. IX, 5.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliff. Senat. Typogr.
Anno 1710.

JOH. FRANCK
BÜRGERMEISTER

DRUCKER

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

VERITATI.
S.



ROSTOCK

1774



A. A.

§. I.



Herculem in cunis jacentem a duobus jubatis serpentibus infestatum Poëta fingunt. Quæ illi fingunt Diacriticæ S. adhuc quasi in cunis vagienti vere accidisse dixeris. Nam cum ante aliquot menses in publicum prædiisset, & quamvis sero, tandem tamen in meum conspectum veniret, duplici malo illam confictari vidi. Primum erat, quod manca & mutila in publicum exire iussa. A capite illud malum serpere cœpit usque ad calcem. Non dicam de omnibus, quæ possem, illud vero tacitum relinqui non potest, quod non exiguam partem Præfationis audacia rapacis manus abstulerit. Disputabam contra illos, qui usum Accentuum musicum de cantillatione intelligunt. Horum argumenta breviter, & ut mihi videtur, satis modeste examinaveram: Sed totam hanc tractationem omissam video. §. 264. Ubi de Accentuum multitudine agebam, atque aliorum non satis commoda iudicia adduxeram, resectis cæteris, vix quartam partem paragraphi illius impressam video. §. 267. Vim Accentuum distinctivam contra Hackspanium defendebam, explicatis dictis illis, quæ in contrarium attulerat. Hæc tota tractatio omissa & vix duodecima pars paragraphi impensa. Ad calcem libri imprimi debebat explicatio Ef. IX, 5. (al. 6.) sed hæc tota rejecta fuit. De aliis, quæ sensui non officiant, nihil addo. Illud tamen indicandum, quod §. 262. circa finem sensus à meo alienus sistatur. Et §. 272. scripseram, quod cantillaturi destituantur solidis argumentis, quibus usum musicum probent. Quod etiam omissum. Ut facile appareat, eum, qui caput hujus mutilationis

A 2

cantilla



cantillaturis favisse. Hoc an bene recteque factum sit, totius orbis Christiani erit iudicium. Si bona erant, quæ scripseram, cur omiserunt? Si mala, non debuissent suppressere, sed refutare, aut mihi remittere integrum Tractatum, aut tamen quid mihi videretur prius exquirere. Præcipuæ cum facile cogitare possent, me eadem adhuc domi habere, quæ si vellem, alibi imprimi possent. Quamvis non videam, quid mali in illis esse possit, quæ posueram. Num non liceret mihi in materia philologica meam sententiam explicare, cum aliis id liceat? Num non liceret mihi pro veritate pugnare, cum aliis licere videam contra illam militare? Non equidem scio, quis hic præcipue in culpa sit; Quamvis ex Dissertatione Diacriticæ S. præmissa facile colligi possit, eundem esse illius Dissertationis & huius mutilationis autorem. Sed quisquis sit, male & inscite fecisse, id certo scio. Nec video, quid mutilator ille, excusationis loco afferre possit. Quicquid enim sit, nihil me insciente facere debuissent. Num aliis licere in suis vult, quæ in meis tentavit? Non arbitror. Cur ergo non observavit illud legis naturalis præceptum quod nec ipse Christus salutis nostræ author negligendum esse vult: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

§. 2. Hoc unum illud malum. Sequitur alterum, quod calamitosa illa Diacritica adversarium suum cervici impositum bajulare cogitur. Nam præmissa est Dissertatiuncula de genuino Accentuum officio, ut videri vult; revera autem contra genuinum ejus usum directa. Mirari possemus, cur Cl. Author non peculiari Tractatu proposuerit, si quid contra hæc puncta in lucem ad spectumque proferre voluit aut valuit. Cur sua meis miscet, saporemque confundit? Sed recordor quid sit. Diacriticam S. orbi erudito (Hoc enim mihi promittebat cum Lipsiæ Ipsum convenirem) commendare volebat, atque lucem nominis sui splendore tenebris meis addere. Scilicet contraria juxta se posita maxime lucent. Interim verum esse videmus illud: Nusquam tuta fides.

§. 3. Quamvis vero non multum roboris hæc Dissertatio habeat: incautis tamen & imperitis scandalo esse posset. (Periti enim, cum multo robustiora magisque speciosa speverint & fregerint, hæc non curabunt.) Hanc ob causam necessarium duxi, ad illa, quæ
objici-



objiciuntur respondere. Et cum facile appareat Dn. Autorem ejus Dissertationis, dum loco promissæ commendationis refutationem meorum placitorum præfigit, & me & Diacriticam ludibrio habere, monstrandum fuerit, aculeos ejus obtusiores esse, quam ut mihi dolorem creare possint. Quod ut arbitror, Doctissimus Autor non mirabitur, nec indignabitur. Veritatem defendere justus semper & necessarius labor est habitus. Vidi ejus objectiones: Videat & quid ego responderim. Exerceamus nos, ut tandem quid eligendum sit, sciamus. Nullius hominis, adeoque nec mea tanti facio, ut meliora edoctus, non lubens, sequerer. Eadem mens si & aliis fuerit, veritatis erit victoria. Qui vero ἰὴν θεῶν διαφυλάττων contra veritatem pugnat, sibi ipsi, non veritati damno erit. Nam ipsum DEum, qui veritas est, & veritatis patronus, adversarium habet.

§. 4. Duo vero sunt, de quibus agendum fuerit. I. Consideranda sunt ea, quæ de Accentuum officio in genere proferuntur. II. Examinanda sunt, quæ contra explicationem Dicitur Es. IX, §. (al. 6.) adducit. De utroque agam brevitate, quæ fieri potest maxima, non bile percitus, sed solo veritatis amore ductus. DEUS vero omnia ad suam gloriam dirigat.

§. 5. Officium Accentuum Dn. Opponens explicat negative & affirmative. Negative dum scribit: *Præmarium & perpetuum eorum officium non esse distinguere & conjungere voces.* Rationes, quibus illud probare vult, sunt. (a) Quia in una voce duo sæpe Accentus concurrunt. Si dixerimus, vocem illam pro duabus stare, respondet: se illud plane non capere. Ego vero in Præfat. Diacrit. S. monstraveram ex Masora, quomodo id fieri possit. Hanc vero Præfationis partem omiserunt. Dn. Opponens tamen illam MSC. ibi legere potuit. Egi quoque de hac materia §. 272. Diacrit. S. ubi rationem & exempla videre possunt, qui volunt. Ex quibus liquet, non adeo absurde dictum esse ab Accentuum scrutatoribus, unam vocem loco duarum poni. Quod ipsam rem attinet, quamvis Dn. opponens id neget, verum tamen est, ordinarium Accentuum officium præmarium & perpetuo esse distinguere & conjungere. Si duplex ille Accentus nec jungeret nec distingueret, fieret hoc extraordinariè & esset



exceptio. Exceptio vero Regulam non destruit; sed restringit & perficit. Vid. Dissertat. Anti-Brunsmann. §. LV. Frustra ergo hoc objicitur.

§. 6. Etsi vero duplex ille Accentus, non eo modo, quo alias distinguit & conjungit, facit tamen illud alio quodam modo & quidem majori ἐνέργεια quam simplex. Quod §. 272. Diacrit. S. videre est. His addo. Verba duplici Accentu affecta v. g. Levit. 21. 4. & alia quatuor huic similia, quæ §. 270. cc. habentur, non frustra sunt posita. Dantur & alia exempla in quibus Silluc solus positus in penultima habet. Inter hæc esse differentiam, nemo jure negaverit. Hanc differentiam indicat duplex Accentus, & distinguit hæc quinque ab omnibus aliis. Atque sic videmus duplicem illum Accentum vim distinctivam habere, licet illam alia ratione, quam simplex exercent. Sic Regula universaliter tam de ordinario, quam extraordinario vera est, quod Accentus distinguant. Ad ordinariam distinctionem simplex semper sufficit, ad extraordinariam non semper; sed interdum duplex requiritur v. g. Levit. 21, 4. illa Emphasis seu illud πᾶθος, quod ibi latet, alio modo indicari non poterat, nisi per duplicem Accentum. Si vero Dn. Opponens alia media hujus Emphases exprimendæ atque hæc emphatice aut pathetice dicta ab aliis, in quibus πᾶθος non est, distinguendi habet, doceat. Gratiam à discendi cupidis inibit.

§. 7. Non vero solum distinguit duplex ille Accentus, sed simul quoque jungit. Dn. Opponens quidem putat, in medio vocis neque distinctione neque conjunctione opus esse. Distinctionem §. præcedente vidimus. Ex quibus clarum, quod, licet non distinguat voces ejusdem pascui, voces tamen diversorum pasucorum distinguat. De Conjunctione hic pauca docam, si Dn. Opponenti auribus vacuis & animo præconceptionis opinionibus non impedito operam mihi dare lubet. Usitatum est in Ebræa lingua eandem vocem interdum repetere ad indicandam vel distributionem vel etiam exaggerationem seu Emphasin. Idem quoque in aliis lingvis videmus. Exempla habemus in Rhetoricis sub Epizeuxi. Quædam, hic repetam, Virg. Ecl. 2. Ah Coridon, Coridon, quæ te dementia cæpit! Ecl. 5. Ipsa arbuta sonant: DEus, DEus



DEus ille --- Horat. L. 1. Ep. 1. v. 53. O cives, cives! quærenda pecunia primum; Virtus post nummos! Cic. Pro. Reg. Deiot. Ignosce, ignosce Cæsar! Alia passim obvia. Ebraei vero illud præcipuum præ aliis habent, quod, non semper opus sit illam vocem geminandam explicite ponere, sed possunt illam repetendam duplici Accentu notare. Quæ sic eandem vim habet vel ad distributionem vel ad exaggerationem. V. §. 272. Diacrit. S. ubi exempla. Sic, ut arbitrator non solum Dn. Opponens, sed & quivis capere poterit, quomodo vox una pro duabus ponatur. Sic quoque capiet, quomodo duplex Accentus in media voce conjungere possit. Conjungit enim voces illas potentia duas. Conjungit etiam duas significationes, nempe ordinariam, quam vox per se habet, & extraordinariam, quam ex intentione Scriptoris habere debet. Michlal Jophi Gen. V, 29. junctim indicari putat rei significatæ propinquitatem & amplitudinem. Verba hæc sunt. **וְהָ עֵינֵינוּ עַל הַדְּרֵעַת הַזֹּמְצָא בְּקִרְוֹכ בְּרוּכ** Conf. R. Bechai ad h. l. Sic in citato exemplo ex Levit. 21. 4. dicere possemus, ibi indicari duplicem reatum, quo se profanet; alium contra legem ceremonialem, alium contra legem moralem. Nam qui legis ceremonialis præcepta non observabat, etiam moralem spernere censebatur. Vel etiam dicere possumus, quod Sacerdos non tantum personam suam sed etiam officium profanum reddat. Conf. **וְרַשׁ** & R. Jacob Abandana ad h. l. Ad hunc modum in aliis exemplis etiam facile geminationis causam videremus, si omnes rerum atque temporis circumstantiæ nobis notæ essent. Sic ad oculum patet, duplicem Accentum nihil facere ad probandam sententiam Dn. Opponentis. Cum duplex ille Accentus distinctivam pariter & conjunctivam vim habet.

§. 8. (β) Objicit illa exempla, in quibus - aliquoties repetitur & exinde colligit, Accentus non indicare, quæ voces grammatice connectendæ & distinguendæ. Resp. Talia exempla sunt paucissima, quæ si a Regula excipiuntur, non hoc evertit Regulam; Cum nulla Regula sine exceptione detur. Potuisset & alia, exempla adducere, de quibus vid. Diacrit. S. §. 38. seqq. Ubi quoque responsio ad hæc exempla reperitur. Conf. Dissertat. Anti-Brun-



Brunsmann. §. LV. LVI. Ubi videre est, etiam in talibus exemplis reperiri distinctionem. Si itaque non actu distinguunt, distinguunt tamen potentia. Nec adhibetur in his Accentus actu distinguens, quia distinctio in talibus per se est aperta, nec ulla ibi difficultas aut obscuritas. Quod etiam in loco à Dn. Opponente ex Num. IX. 1. citato videre est. וִירְכַר יְהוָה אֶל מֹשֶׁה כַּמְדָּבָר לִינִי Hic nulla obscuritas, cum distinctio per se pateat. Vox 2. & 3. distinguuntur, quia non construuntur. Ob eandem rationem etiam vox 3. & 4. distinguuntur. Quod vero post 3. major ponitur, quam post 2. eius ratio est logica. Quia inter duos priores conceptus major est cognatio, quam inter posteriores: Nam actio & objectum arctius coherent, quam objectum & locus. Actio & Objectum coherent immediate & intrinsece, objectum & locus mediate & extrinsece. Est adhuc alia ratio, propter quam minores illos Accentus sociavit. Quæ ex §. 248. Diacrit. S. desumi potest. Et sic est hæc interpunctio pathetica. Unde simul vim distinguendi hi Accentus accipiunt. Nam distinguunt hæc modificata ab aliis ejusdem constructionis & ordinis, quæ non sunt emphatica aut pathetica. Facile ergo quivis videt, quantum roboris hæc objectio habeat, cui lumbi non uno modo fracti.

§. 9. Veniamus nunc ad thesin affirmativam. Vult vero Dn. Opponens monstrare aliud officium, omnibus Accentibus conveniens quod sit congrua pronuntiatio Ebræis וְעִיטָה & זָמְרָה dicta. Hoc probat duplici argumentorum genere. 1. Ex antiquitate, ubi adducit testimonium R. Schapht, ex Cod. Talm. Megill. c. IV. f. 32. col. a & intelligit duo illa de jucundo quodam tono & quasi cantu, quo lecta sit S. Scriptura. Quod non nego. Vid. Diacrit. S. §. 250. & Dissertat. Anti-Brunsmann. §. XXIV. Hæc congrua pronuntiatio non solum Ebræis cantus vocatur; sed etiam Latinis & Græcis, ut H. cc. videre est. Quibus addi potest illud juvenalis Sat. 7. v. 153. ubi de Declamantibus ita scribit:

-- -- Quæcunque sedens modo legerat, hæc eadem stans
Profert atque eadem notabit versibus iisdem.

Ubi legere, proferre & cantare idem significant; Atque hoc testimonium Talmudicum omnino notandum foret contra illos, qui usum illum



illum musicum de cantillatione satis inepte intelligunt. Quoniam enim Talmud talem nobis cantum sistit, qui in docendo observatur, cantillationem intelligere non potest. Quis enim docens cantillat. Hoc dico ex mente Dn. Opponentis. Non enim nescio Buxtorffios hunc locum Talmudicum longe aliter vertere & explicare. Vid. Patris Tiber. Cap. IX. pm. 78. & Filii De Punct. Antiq. P. I. c. 6. p. 94 & adhuc alio loco, quem nunc quærare non lubet.

§. 10. Adducitur quoque testimonium ex Masora Gen. V. 29. quo idem probatur. Ubi pauca notanda. Dn. Opponens non videtur sensum hujus Masoræ assecutus. Sic, nî fallor, vertenda: Lector pronunciando exprimet Geresch ante Talscha, quamvis Talscha magnum stet in capite vocis priori loco, & Geresch post Talscha (וגרישין irrepressibile videtur pro וגרישין) ut talis sit hic pronuntiatio, qualis est Deut. XXVI. 12. in vocibus כִּי קָלָהּ לְעֶשֶׂר (Fit enim, licet rarius juxta Tab. I. G. 10. a. ut ² vel ³ ponatur in magna & ² in Minore) Uter melius verterit, eruditi judicent. Quamvis vero in Versione hujus Masoræ dissentiamus, in eo tamen consentimus, quod Accentus nullo alio modo, quam vocis flexione vel modulatione exprimi possint, scilicet, quando pronuntiatur. Nam in versione aliter se res habet. Sed restat quæstio, qualis hæc flexio & modulatio seu, ut apertius dicam, congrua hæc pronuntiatio fuerit? Hoc explicandum erat. Respondebit fortasse, quod in seqq. de Accentibus in genere asserit, hanc modulationem Judæis æque ac Christianis hodie ingnotam. Ego vero, non ignotam esse, puto. Quemadmodum verba in aliis lingvis juxta interpunctiones pronuntiantur, ut sensus genuinus tum in genere, tum in specie, quoad affectus & Emphases recte sistatur, sic etiam hic. Quod, quæ quid Actio sit in Rhetoricis sciunt, non nescient. Sed quid faciendum in illis, ubi duplex Accentus, & in specie in his quinque, de quibus hæc Masora agit? Cum ipsa Masora viam monstrat, quid dubitamus? Vult in his quinque locis pronuntiationem ita fieri debere, ut sit Deut. XXVI. 12. Ibi vero ² & ³ in distinctis vocibus reperiuntur, ergo & hic illæ sunt necessariae, adeoque voces illæ in quibus ² vel ³ reperitur, repetendæ. Ibi ² vel ³ ponitur quidem

B

loco



loco superiore, quia vero in se est minor, minore etiam vi est exprimens, ² vero, quamvis inferiore loco ponatur, tamen, quia in se major est, quam Geresch, majore vi proferendus. Conf. Calonymus O III. b. qui differentiam pronunciationis in his duobus Accentibus observat. Erit ergo pronuntiatio horum verborum talis: Hic, Hic! solabitur &c. Num quid hic obscuritatis? Qui hoc capere nequit ei quid faciendum, vix video. Si vero quis putat, se melius hanc Masoram explicare posse, explicet. Meliora & solidiora docentem lubens sequor.

§. II. Alterum argumentorum genus ab ipsa Accentuum consecutione & ordine desumitur. Vult, si mentem Dn. Opponentis recte capio & breviter proponere licet, quia $\bar{\text{r}}$ in medio & Silluc in fine, illos pronuntiationem dirigere, ut ad $\bar{\text{s}}$ consistamus & spiritum ponamus; deinde pergamus ad Silluc, ubi iterum pronuntiatione subsistamus. Hoc totum concedo, dummodo huic pronuntiationi cantillatio non misceatur. Addo insuper, hoc verum esse, non solum de $\bar{\text{r}}$ in medio; sed etiam, quando $\bar{\text{r}}$ & $\bar{\text{s}}$ in medio reperitur. Quamvis vero hanc consecutionem Accentuum, non negem, nec illum pronuntiationis modum, optatissimum tamen mihi foret, & fortasse etiam aliis, si hoc argumentum forma logica proposuisset. Sic videre possemus, utrum valide concluderet, an vero principium peteret: Præcipue si ad cantillationem deflectit.

§. II. Quid vero ex his colliget Dn. Opponens? Hoc inquit, bene perpenso omnis difficultas, quæ hætenus Accentuum interpretes pressit, facile tollitur, & de omni Accentuum positu ratio redditur. Quod etiam de illis vocibus, quæ duplicem Accentum habent asserit. Sed quæro, qualis illa pronuntiatio, quæ omnem difficultatem tollit? Respondet: modo celerior, modo tardior. Sed quæ ratio hujus diversitatis? Respondet: Vel vocum paucitas & brevitatis, vel affectuum latentium diversitas vel pronuntiationis vel denique S. Punctatoris libertas. Hæc examinanda. Paucitas & brevitatis verborum loco causæ adduci nequit. Nam ibi reperi potest, cur vox brevior & pauciora verba, nunc hoc, nunc illo modo pronuntiantur? Idque eo magis cum videamus in brevissimas voces sæpe maxi-



maximos Accentus incidere. Nec libertas Punctatoris S. vel pronun-
ciationis hic sufficit. Cum enim hæc libertas non sit *ἀλογος*, restat
qvæstio qvam ob causam S. Punctator sua libertate hoc & non alio
modo usus sit? Ergo inter hæc omnia nihil aliud relinqvitur, nisi
diversitas latentium affectuum. Sed hæc qvanqvam vera ratio, non
tamen sola est. Vid. Diacrit. S. §. 238. seqq.

§. 13. Sed scire pervelim, qvud hic Dn. Opponentis usus
pronunciativus præ usu distinctivo lucretur. Num non de omnibus
Accentibus ratio hujus vel illius Distinctionis reddi potest? Calony-
mus qvidem circa finem Libri sui qveritur & fatetur se non posse
redere rationem *דכל פרטוהם ולמה זה קורם זה ולמה יה מאוהר*
לזה ולמה פעם אחת משתמש מזה ופעם אחרת משתמש מאחר
Qvi vero Tabulas & ea, qvæ ad Reg. III. כמכון אחר כעצמו
Diacrit. S. §. 238. seqq. dicta, recte intelligit, omnium & singulo-
rum Accentuum rationem sine magna difficultate reddet & explicabit,
cur alter alterum seqvatur aut antecedit, cur nunc hic nunc alius ad-
hibeatur, eodem sensu eademqve intentione S. Scriptoris (generaliter
accepta) manente. Duo exemplorum genera Dn. Opponens in du-
bium vocat; Sed ex §. 5. seqq. liquet, qvud ad illa responderi possit.
Et qvi rem recte perpendit, videbit per usum distinctivum, difficulta-
tem melius tolli, qvam per pronun-
ciativum. Modus enim pronun-
ciationis juxta Dn. Opponentem judæis æqve ac Christianis hodie igno-
tus. Et nisi nostram explicationem §. 10. admiserit, non poterit ex-
plicari, qvomodo vox simplici sive duplici Accentu notata, sit pro-
nuncianda. Distinctionis vero ratio & modus ubiqve patet. Nota
vero, magis, ut opinor, proderunt, qvam ignota. Qvud? Si ille
pronunciandi usus ignotus est, de nullo Accentuum positu ratio reddi
poterit. Atqve sic per Dn. Opponentem difficultas non tollitur,
sed augetur.

§. 14. Num plura restant? R. sc. 2. b. distinguit Rhetorum
commata, cola & puncta in pronun-
ciatione adhibita ab illis, qvibus
periodus grammatica distinguitur. Si hic distinguere vult, inter deco-
ram pronun-
ciationem, qvæ est pars Actionis Rhetoricæ & inter Inter-
punctionem, nemo repugnabit. Sed p. p. hoc ita explicat, ut distin-



guat inter hodiernam periodi interpunctionem & illam Judæorum
 versus Accentuationem. Quæ verba obscuriora sunt, quam ut in-
 telligi possint. Quærere possumus, quid per illam Judæorum versus
 Accentuationem intelligat, si congruam prononciationem non in-
 telligit. Hanc suam distinctionem vero probat ex Deut. V. 4. 5. 6.
 „ Quæ verba sic vertit. (4) Facie ad faciem locutus est Dominus vobis-
 „ cum, in monte ex igne, (5) Ego stabam inter Dominum & inter
 „ vos illo tempore, ut indicarem vobis verbum Domini, timuistis
 „ enim ignem & non ascendistis in montem) his verbis: Ego sum
 „ Dominus DEus tuus qui te eduxi ex terra Egypti, ex domo seruo-
 „ rum. Hæc, (pergit ibi) omnia uno puncto absolvuntur, colo,
 „ quibusdam commatibus & Parenthesi distincta. Sed Accentuum
 „ Author illa in tres versiculos divisit, quorum primus in **הַאֵשׁ**,
 „ secundus in **לְאמֹר**, tertius in **עִבְרִים** definit. Nullum in Ebræo
 „ Parentheseos signum constitutum est, sed hoc ex sensu locandum,
 „ uti Gen. XIII. 10. Patet itaque quia veritate vulgo dicatur, vocem
 „ parenthesi clausam nullum majorem Accentum antecedere, hoc
 „ enim loco: & ꝑ præcedere, nulli lectorum obscurum est. Hunc
 „ sensum observavit acutus ille Judæorum interpret Aben-Esra
 „ frequentia huic loco in commentario suo adjiciens. **ומלה לאמר דבקה**
עם רכר יהוה עמכם בהר מתוך האש לאמר ויהכן להיות פירוש
אנכי עומד בין יהוה אחר מעמד הר סני והשעם שהוא רכר
עמכם פנים כפנים ומאותו היום הייתי אני עומד בין יי וכיניכם
כי יראתם אשר יפרש ולא עליהם בהר כאשר עליתי אני
ומשה נגש אל הערפל ואל השים אל לכך בעבור היות מלה
לאמר רחוקה כי כן רבים והמדבר לא הפסיק הפסוקים ולא
הפרשיות גם אל תשית לב אל המלות כי הם כגופות
והטעמים כרוחות והכורת בשני כלים זה כמו זה כמעשה
מעשה אחר הוּנִי. Quæ hoc sensu interpretor: Et vox
 „ **coheret cum illis Locutus est Dominus vobiscum in monte**
 „ **ex igne dicendo.** Et videtur mihi, quod verba: **Ego stans inter**
 „ **Dominum** ita explicanda sint: **Ego stabam post montem Sinai.**
 „ **Et sensus verborum: Locutus est vobiscum à facie ad faciem talis**
 est:



est: Illo die ego steti inter Dominum & inter vos, quia timuistis, ,,
 ut in seqq. legitur: Non ascendistis sc. in montem, quorsum ego ,,
 ascendi. Moses enim appropinquavit ad caliginem Exod. XX. 21. ,,
 Nec cures, quod vox לֹאֲמַר longè distet a reliquis verbis: Multa ,,
 enim similia in Scriptura reperiuntur. Loquens enim non distin- ,,
 xit versus neque sectiones Legis. Neque multum cures verba: ,,
 Verba enim sunt corpus, sensus vero est spiritus, & qui secat alte- ,,
 rutro cultrorum æqualium, vere sectionem peragit h. g. sive quis ,,
 verbis sive sensu aliquid doceat, perinde est, & vere docet. Ex ,,
 quibus perspicue cognoscimus, quod Aben-Esra eandem nobiscum ,,
 teneat sententiam. *Hactenus ille.* Ut de ultimis Dn. Opponentis ,,
 verbis recte judicare possimus, videndum est quid sentiat. (1) Distin-
 guit inter hodiernam periodi interpunctionem & illam Judæorum
 versus Accentuationem. (2) Periodum vult distrahi in plures pasu-
 eos. (3) Adesse hic parenthesis (4) Parenthesin claudi post Majorem
 Accentum (5) לֹאֲמַר in fine versus quinti pertinere ad v. 4. Num
 Aben-Esra eadem sentit? Ultimam video in verbis Aben-Esrae 4. &
 3. non video tam clare expositum, ut non de illo dubitari possit. 2. Est
 quidem in illius verbis, sed ex versione data non facile colligitur.
 Primum apud Aben-Esram non reperio, nisi dicere velimus 1. & 2. esse
 idem quoad rem.


§. 15. Ut vero hæc verba recte intelligamus, paulo accura-
 tius sunt examinanda Dn. Opponentis per שְׁנֵי כְּלָיִם de quibus Aben-
 Esra loquitur, intelligit *sensum & verba* dum scribit, *perinde esse*
sive quis verbis sive sensu aliquid doceat. Quod non credo. Aben-
 Esra quærit sensum. Cum sciscitor, quibus mediis quærat, aut in-
 veniat? num possum respondere; sensu id fieri? Num idem per idem
 quærimus & invenimus? Per טַעְמִים ergo, qui sunt כְּרוּחוֹ non
 intelligitur sensus, sed Accentus. Cum טַעַם sensum significat,
 Rabbini numerum singularem adhibere malunt. Cujus etiam in his
 ipsis ex Aben-Esra citatis verbis exemplum habemus. Statuit Aben-
 Esra לֹאֲמַר in fine v. 5. respicere v. 4. & cum illo cohærere. Contra
 hunc sensum objici posset, vocem illam esse nimis remotam a v. 4. &
 Accentibus separatam. Ad hanc objectionem respondet (1) Multa



dari similia. (2) Rationem addit: Quia loquens cum singulis pasucis non faciat cessare sensum seu quia uni pasuco non semper plena periodus includatur; sed periodus saepe per plures pasucos distrahitur. Videmus ergo, quod הפסיק non simpliciter significet distinguere, sed ita distinguere, ut cum sine pasuci etiam sensus finiatur. Quod cum in pasucis non fiat multo minus in פרשיות seu Sectionibus fiet. Hic vero reperi possit, sic verba simulque sensum divelli. Ad hoc respondet, non obstare, quia Accentus, qui sunt anima orationis, tamen verum sensum monstrant: ideoque perinde esse, sive ille sensus in una periodo proponatur, sive in diversis pasucis, cum utroque idem efficiatur. Sicut cum quis duobus æqualibus instrumentis aliquid efficit aut secat. Atque sic videmus clare & perspicue, quod Aben-Esra Dn. Opponenti in *secundo* supra posito ὁμοίωτος. Quæ & mea est sententia Vid. Diacrit. S. §. 42. seqq. Conf. Præfat. p. 33. seqq. Versionem Dn. Opponentis non accuratius examino, ne prolixior sim, quamvis quædam ad illam moneri possent.

§. 16. Atque sic vidimus, quid Dn. Opponens statuat & quomodo sua probet. Nunc rationes conferendæ, ut quis quid alteri debeat, sciamus. Usus distinctivum, quam ego statuo, concedit: Usus pronunciationis decoræ, quem ille urget, ego concedo. Hic enim valet illud Logicorum: Unius positio, non est alterius exclusio. In illo discordamus, quod ille usum pronunciationis velit esse primum & perpetuum; Ego usum distinctionis. Cum vero Dn. Opponentis Argumenta, quæ obstare possent, fregerim, hoc mihi sufficere possit, nec ulteriori probatione opus esset. Quo tamen res eo clarior sit, & eo minus dubitationis remaneat, paucas rationes addam, quibus confirmetur prærogativa usus distinctivi præ pronunciationi. Sed argumentabor hac vice tantum ex concessis à Dn. Opponente & ex propriis eius hypothesibus.

§. 17. Pronunciationis decoræ usum Dn. Opponens urget. Quæro ergo, quam Orationem enunciet & pronunciet, distinctam an vero non-distinctam? Respondebit ni fallor, distinctam. Cum enim certus & determinatus sensus non sit in verbis, quæ rite & recte non distinguuntur.



stinguunter , nec ille pronunciatione exprimi potest. Non -entis enim nullæ sunt affectiones. Qværo porro ; Qvomodo aut qvibus mediis fit apud Ebræos orationis distinctio? Respondebit, per Accentus. Nam & hoc , ut vidimus , concedit. Videmus ergo distinctionem esse priorem pronunciatione , nec hanc sine illa esse posse.

§. 18. Porro nec illud negari poterit, pronunciationem esse tantum Accidens Orationis , nec illam ad orationis essentiam pertinere. Nam oratio ab oratore elaborata est oratio , etiamsi nunquam pronuncietur. Nisi forte dicere velimus Orationes Ciceronis nunc , cum non pro rostris recitentur , non amplius esse Orationes : Aut Orationes qvinqve actionis secundæ in C. Verrem non esse aut nunquam fuisse Orationes , cum non sint recitata. Distinctio vero & interpunctio ad Orationis essentiam pertinet: Qvia sensum , qui est Orationis anima & forma , determinat. Unde nec ab oratione separari potest , nisi plane illam deformare aut transformare velimus. Nec est , qvod qvis objiciat morem Ebræorum sine punctis scribendi. Nam nisi viva vox accesserit , qvæ doceat , qvomodo verba distinguenda , sæpe multumqve Lector falletur. Testantur id exempla tot doctissimorum virorum , qui male Ebræa non punctata verterunt. Qvomodo Buxtorffius hoc probet exemplo Capelli & Schertzerus in Operæ pretio orientali aliorum exemplis , non erit eruditus ignotum. Et qvæ causa , qvod in versionibus S. Codicis non solum diversum , sed interdum etiam contrarium sensum deprehendamus ? Geminam interpunctionem vel neglexerunt vel non intellexerunt. Nunc judicet , qui sine partium studio hæc legit , qvid horum majore jure primarium & perpetuum dici debeat , distinctio , an pronunciatio ? Essentiale an accidentarium ? Omnes sobrie philosophantes dicent , illud , qvod ad essentiam pertinet , nempe distinctionem , rectius dici primarium. Distinctio est inseparabilis ; pronunciatio separabilis. Illa ergo perpetuo competit orationi ; hæc ad certum tantum tempus. Illa est intrinseca orationi , qvia ad formam , qvæ est causa interna , requiritur ; hæc extrinseca. Cum ergo Dn. Opponens utrumqve usum & distinctionis & pronunciationis conce-



concedat, non potest non concedere, usum distinctionis esse primarium. Hæc ex hac hypothefi.

§. 19. Concedit Dn. Opponeus Accentus facere ad inrerpretationem. Unde & effatum Aben-Esra approbat. Et quidem jure. **כִּי מִי שִׁבְיָנָם כְּהוֹנֵן לֹא יִצְטָרֵךְ לִפְדוּשׁ אַחֵר** juxta Calonymum. Qværo ergò: An interpret orationem explicare possit sine pronunciatione? Concedet, arbitror. Nec enim probari potest pronunciationem per se esse necessariam. Qværo porrò: An Interpret explicare possit orationem non-distinctam? Negabit, puto, aut tamen sine fundamento affirmabit. Qvod in oratione non est, ab interprete nobis fisci non potest. Jam vero oratio non-distincta nullum certum sensum habet. Nullus pasucus est in toto Codice S. si plenam propositionem continet & syncategoremata admixta habet, qui non interpretatione in sensum, si non semper contrarium, diversum tamen trahi possit. Qvomodo ergo Interpret nobis verum certumque sensum exponet? Cum itaqve Dn. Opponens concedat utrumque usum & distinctivum & pronunciativum: Cum quoque concedere cogatur interpretationem sine pronunciatione fieri; sine distinctione vero fieri non posse: non potest non concedere, distinctivum esse primarium, pronunciativum esse secundarium; aut, si liberalis esse debeo, pronunciativum nullo jure distinctivo præferri posse, sed illi sufficere, si par judicari possit.

§. 20. Hæc de membro priori sufficiant. Nunc consideremus ea, quæ contra Explicationem Ef. IX. 5. (al. 6.) proferuntur. Res sic se habet. Anno M DCCIII. Lipsiæ prodit Abyssus mysteriorum & beneficiorum ductu **אֵלֶּיךָ יְיָ אֱלֹהֵינוּ** relecta, seu, Nova sed vera & orthodoxa interpretatio Oraculi Esaiiani Cap. JX. v. 6., qva docetur, duo maxima Christianismi mysteria, nempe Christi **θεανθρώπου** & DEI unitrini uno hoc Pasuco doceri. Hanc explicationem approbavit Doctissimus Starkius in **אור הטעמים**. Dn. Opponens vero illam oppugnat, atqve utrumque. (Nam in plurali loquitur) abusus Accentuum accusat. Nobis ergo incumbit, quæ statuimus, defendere, nec veritatem deserere. A me vero præcipue id requireretur, qui primus
illam



illam explicationem dedi, ne quid temere fecisse, videar. Quod in tractando verbo DEI à nobis omnibus abesse debet. Quid me moverit, ut sic statuerem, ibi explicavi, quod illis, qui Accentus solide cognoverunt, non displicebit. Nihil ergo à me amplius postulari potest, nisi, ut objectiones, quibus hæc explicatio impetitur, diluam & nihili esse monstrem. Utinam vero Dn. Opponens argumenta statu, officio & persona sua magis digna attulisset, aut, si ea non habuit, hanc materiam, quam satis cognitam & perspectam non habebat, plane intactam reliquisset. Molestum enim mihi est, ea, quæ hic respondenda sunt, illi oggerere. Cum vero veritas defendenda id requirat, iniquo animo ferre haut poterit. Si quid displicet, suæ non meæ culpæ tribuat.

§. 21. Sic vero Dn. Opponens contra nos insurgit: *In vocibus mysterium latere non negatur; sed Accentibus illud indigitari mihi non est perspicuum.* R. Hoc illi non esse perspicuum, credamus, non ipse fateatur. Potuisset tamen esse perspicuum, si perpendisset illum Tractatum & Diacrit. S. §. 245. 248. 288. huic junxisset. Cum vero hoc illi perspicuum non esset, non debuisset sinistre de proximo judicare, aut nos de Accentuum abusu accusare. Judicia enim fieri debent de rebus satis perspectis, exploratis & recte cognitis. Nisi mihi perspicuum fuisset, tacuisssem. Sed cognovi, non solum ex aliorum scriptis, qui ante me id tradiderunt, verum etiam diurna nocturnaque manu per multa lustra S. Codicem versans multaque S. Scripturæ exempla examinans deprehendi, adeoque ipsa experientia edoctus scio, mysteria in verbis latentia etiam per Accentus indicari. Hoc negare idem est, ac si dicerem, metalla quidem in terra latere, sed per virgulam divinam non indicari. Cum tamen rerum metallicarum periti utrumque verum esse concedunt. Voces indicant mysteria immediate; Accentus mediate. Voces indicant mysteria; Accentus docent, quomodo viri θεόπνευστοι sese circa illa gesserint, utrum magni, an parvi fecerint, & nobis facienda esse

C

esse



esse voluerint. Voces indicant mysteria; Accentus locum produnt, ubi proxime deprehendenda. Et cur negat mysteria Accentibus indicari, cum ante concesserit, celerioris & tardioris pronuntiationis adeoque etiam minoris vel majoris Accentus positi rationem esse affectuum latentium diversitatem. Aut ergo contradicet sibi, aut concedet, arbitror, Accentibus mysteria indicari. Nam ubi illud *πάθη* vel emphasis latet, ibi latet etiam mysterium h. e. ratio quædam, quare hoc vel illud *πάθη* per hunc aut illum Accentum indicetur. Nisi forte Spiritui S. brutum & *ἄλογον* sermonem tribuere velimus. Vid. Diacrit. S. §. 257. Aut ergo Dn. Opponenti perspicuum fuit per Accentus mysteria latentia indicari; aut non fuit. Si non fuit, quomodo dicere potest, Accentus indicare affectus latentes, cum hi ipsi mysteria prodant, nisi forte *πάθη* & affectus frustra adhibentur. Si vero perspicuum fuit tunc, cur non & nunc? Si alibi affectus latere possunt, cur non etiam Ef. IX?

§. 22. Sed accedamus propius. *Quidam*, scribit: *Ef. IX, 5. Christi naturam divinam & humanam ex Accentuum ordine cognovisse sibi persuadent, quod duo adsint membra paria, quorum prius, alterum: parvo distinctum est.* R. Duas illas Christi naturas ibi indicari, adhuc mihi persvadeo. Probavi illas non tam ex Accentibus, quam ex ipsis verbis. Quod Dn. Opponens p. 6. videre potuisset, si voluisset. Possent etiam alii videre, si ille Tractatus ad finem Diacritica S. impressus esset juxta meam voluntatem & Bibliopolæ promissionem. Sed omiserunt illum, ut supra indicatum. Quâ fide & quo jure alii judicent. Quo autore id factum sit, ex hac objectionem facile colligimus. Quod membra hic paria sint, non urgeo. Scio quidem alios aliquid commodi in eo quærere: Ego vero deprehendi, perinde esse, sive paria, sive imparia membra concurrant. Hoc ergo, nisi mihi affingitur, non satis cogitate tribuitur.

§. 23. §2



§. 23. Si Accentus, pergit, h. l. duas naturas expriment, necesse est, ut in aliis verbis iisdem Accentibus stipatis idem faciant v. g. Es. LXIV, 1. R. Monstret mihi Dn. Opponens, ubi ego tale argumentum formaverim aut talem majorem posuerim: Ubi — occurrit, ibi divina natura indicatur. In meis scriptis nunquam illam reperiet. Nescio, quid meruerim de V. Cl. ut mihi tales ineptias affingat. Si accuratius mea legerit, rectius fenserit...

§. 24. Hæc nondum sufficiunt. Scribit porro: Sic voce בן Accentu — signata excellentiorem naturam divinam indicari quidam existimant, quoniam vox ea etiam servo ṽ Munacho sequenti voci annexi potuisset. Quod si esset verum, necessario sequeretur, ut 1. Chron. I, 44. בלע בן בעור naturam quoque divinam possideret, quia בלע eundem = fthibh habet comitem. R. Hic aqua hæret. Nescio quid ad hoc dicendum. Ab accusando proximo, ut qui maxime, abhorreo. Et tamen non possum, quin hic vel scientiæ vel conscientiæ defectum arguam. Argumentor. Aut cognovit Dn. Opponens mentem meam & rem, de qua disputat, aut non cognovit. Si non cognovit cur incognita sibi refutanda sumit? aut cur, quæ refutare vult, non prius recte cognoscit? Socratis una sapientia erat, non arbitrari, se scire, quæ nesciat. Utinam omnes Christiani hac sapientia gauderent! Incognita destruere velle, est sibi ipsi ruinam parare. Si vero cognovit, cur tam ineptas, tam insulas, tam absurdas rationes mihi tribuit? Qui alienorum voluminuna se facit cenforem, primum hoc agere debet, ut rem penitus intelligat, deinde ut rationem, non affectum habeat in consilio. Recte monet Erasmus in Apolog. pro Declam. Matrim. An hæc duo à Dn. Opponente observata sint, aliis judicandum relinquo. Ego & hic postulo; ut Dn. Opponens mihi hoc argumentum aut hanc majorem monstret in meis Scriptis: Ubi — reperitur, ibi divina natura indicatur. Si Dn. Opponens Tractatum illum vel
 C 2 etiana



etiam Diacrit. S. præcipue, quæ §. 245. 248. 288. scripsi legere vel etiam intelligere voluisset, non me tantæ absurditatis suspectum reddere conaretur. Quamvis vero ea, quæ in Tractatu illo posui, æquis & peritis rerum æstimatoribus sufficiant, opus tamen fuerit, propter imperitos & hic quædam addere. Verba Es. IX. sic interpungi possent: יְרֵךְ יֵרֶךְ לֵנֹ בֶן נַחַן לֵנֹ Spiritui S. vero alia interpunctio placuit: יְרֵךְ יֵרֶךְ לֵנֹ בֶן נַחַן לֵנֹ Dico, Spiritum S. nihil frustra fecisse. In quo omnes, qui de S. Scriptura & de DEO recte sentiunt, assensores habuero. Quæro ergo, quæ ratio hujus interpunctionis? R. ex §. 245. Diacriticæ S. Quia Spiritus S. voluit indicare notabilem differentiam, quæ est inter נַחַן לֵנֹ & יֵרֶךְ לֵנֹ. Et quia prius habet — qui minor, quam — in נַחַן לֵנֹ dico, quod נַחַן majus quiddam, quam יֵרֶךְ indicet. Quidnam vero illud differentiæ sit, nec hic nec ullibi Accentus explicant juxta §. 245. & 288. Diacrit. S. Propterea S. Scriptura scrutanda, quæ Christo duplicem nativitatem tribuit, aliam ab æterno, aliam in tempore. Hinc probabiliter colligo, ad hæc duo respici. Nempe Messias quidem in tempore natus, sed in eodem reperitur aliquid, quod longe ante, vel potius ab æterno extitit. Unde & phrasis mutatur atque vox נַחַן adhibetur, quæ indicat, eum, qui in tempore natus, ante tempus tam nativitatæ hujus, quam totius mundi extitisse. Sic cum in בֶן distinctivus ponatur, in יֵרֶךְ vero servus maneat, iterum exinde colligo, non frustra illud fieri. Quæro ergo cur? R. Quia magna differentia inter בֶן & יֵרֶךְ. Qualis vero illa differentia sit, hic non magis quam antea, Accentus indicant juxta §. 245. D.S. Unde ergo scio? R. Ab Accentibus monitus scrutor S. Scripturam juxta Joh. V, 39. Hæc monstrat Jesum non solum esse hominem, sed etiam DEum. Dico ergo: Cum Messias sit DEus & Homo: Cum DEus sit excellentior Homine, per בֶן indicari divinam Naturam seu DEum, per יֵרֶךְ Humanam Naturam. Idque eo magis, cum circumstantiæ Textus consentiant: Nam de בֶן dicitur



tur נתן, de ה, vero ה. Quid hic absurdi? Num Accentus non elegantissime quadrant mysteriis per illa verba indicatis? Num ineptum est dicere ה habere majorem Accentum quam ה, quia notat excellentiorem naturam? Num argumentor: Ubi ה ibi indicatur divina natura? Non sane! Cur ergo tales ineptiæ mihi tribuuntur, quasi ex sola ה, ה præsentia divinam naturam probarem? Κύριε μὴ σήσης αὐτῶ ἦν ἀμαρτίαν ταύτην.

§. 25. Quod loca objecta ex Es. LXIV, 1. 1. Chron. I, 44. attinet, ibi quoque vehementiam vel prærogativam quandam indicari assero juxta ll. cc. Diacrit. S. Sed hæc talis est, qualis in rem tractatam cadit. Nam ut res sunt, ita debent enunciari. Et talia sunt prædicata, qualia à suis subjectis esse permittuntur. Et modus dicendi sequitur modum essendi. Ut ex logicis constat. Hoc si Dn. Opponens nescit, non satis instructus ad refutationem accessit: Si vero scit, cur apicum formis adhærescens larvas ex illis fabricatur, quas mihi imponat? Hæccinæ charitas Christiana? Hæccine conscientia patitur?

§. 26. Audiamus & reliqua, utinam meliora! Sequuntur vero hæc: *In eodem Esaiæ loco alius Accentuum abusus occurrit, quando illorum virtute nomina Christo imposita eidem denegantur & DEO nominanti tribuuntur. Ut hoc evidentius percipiatur, ipsum Accentuum ordinem apponam?*

ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי ער שר שולח:

Que hoc sensu à quibusdam versa sunt: Et nominabit eum mirabilis, consiliarius, DEUS fortis: Patrem æternitatis, Principem pacis. Quia — in vocem גבור incidit, reliquique omnes — respectu — minores sunt, existimant, omnes illas voces judicio logico esse in unum membrum colligendas & non pro Nominibus Filii denominandi, sed DEI appellantis habendas. Quam interpretationem Judæi & Sociniani ambabus amplectuntur. Sic ibi, R. Meam versionem, quam p. 15. posui, mutilat, quod

C 3

feri



feri non debuisset. Me vero Titulos illos separasse, alios Nominanti, alios Nominato tribuisse, fateor. Nec mutò factum. Subjectum denominans describitur per *שְׁלֵשׁ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ גִבּוֹר*. Et quia hic tres Titulos reperio singulari modo distinctos, quæro cur? R. Quia DEUS ille, qui Puerò hoc nomen dedit, est Triunus, Pater, Filius, & Spiritus S. qui ab utroque procedit. Dico duos ultimos Titulos esse Messia, quibus indicetur officium ejus, per quod in regno gratiæ pacem, in regno gloriæ salutem habemus. Dico divinam Christi Naturam per hos duos Titulos non minus, quam si omnes illi tribuerentur, probari posse, adeoque nos hac interpretatione nihil amittere sed multum lucrari. Sisto ergo in illa explicatione tria præcipua Christianæ Religionis capita. (1.) Messiam *θεσβωπρωτον*. (2.) DEum Unitrinum (3.) Christum salutis nostræ authorem. Utinam igitur Dn. Opponens, qui dicit, Socinianos & Judæos meam interpretationem ambabus amplecti, id verum diceret. Siccisset, quod gratularemur Ecclesiæ, nec in posterum Judæos aut Socinianos in mundo haberemus. Si enim Judæi & Sociniani hæc tria doctrinæ capita crederent, in reliquis omnia faciliora forent. Cum vero Dn. Opponens sit S. S. Theol. Doctor, non illi ignotæ erunt horum hominum hypotheses, & patebit, quod, quamdiu sunt, quod sunt, meam interpretationem recipere nequeant. Cur ergo mihi hoc objicit? Nonne & hic vel scientiam vel conscientiam desiderare possem? Miseret me hujus Disputationis & tædet. Nam durius interdum, quam vellem, loqui cogor. Sed reprimam me. Lubens hoc peccatum committerem, ut omnes, non solum Judæos & Socinianos, sed etiam quicquid præterea est Hæreticorum & infidelium, hac opinione imbuerem, ut in posterum tres in uno DEO personas, duas in Christo naturas, & Christum pro nobis satis fecisse nobisque æternam salutem acquisivisse, crederent. Si enim meam interpretationem ambabus amplecterentur, hæc omnia illos credere oporteret. Miror vero quod scribat, Judæos hanc interpretationem amplexuros. Ultimum Titulum Rabbinos infanti huic

huic relinquere, notum est ex Abarbenel, רש"י, ר"ק, Lipman, Michlal Jophi &c. Quod vero illum ער אבי ער vocari velint, non memini. Si Dn. Opponentis fundamentum sui asserti habet, proferat. Ego, si hoc Judæi concesserint, ex eo inferam illum etiam esse DEum. Idque ex Rabbīnorum hypothēsibus. Michlal Jophi ad hunc Titulum hoc habet: פירוש אבי ער שהוא קים לעולם והוא אבי הזמן Argumentor. Quicunqve æternus est & in æternum permanet, atqve etiam tempus, cum illis, quæ in tempore sunt, creavit (Hoc enim est, nisi quid me fallit, אבי הזמן) ille non est nudus homo, sed DEus: Hoc Judæi negare non poterunt, nec volent, cum R. Mosche ben Melech hunc Titulum hac significatione accipiat. Atqvi infans hic est אבי ער. E. Hic infans natus est DEus. Cum itaqve Judæi hunc Titulum ex hypothesi Dn. Opponentis infanti huic tribuant, DEum illum negare haut poterunt. Sed statuunt illi de Titulorum horum distinctione, quicquid velint. Nobis id clarum est, duos ultimos Titulos esse Christi seu Messæ. Et ipse R. Mosche ben Melech, nisi suam explicationem retractare velit, aut etiam Accentuum vim & auctoritatem labefactare, à quo tamen Judæi abhorrent, concedat nobis oportet, hunc puerum esse DEUM. Atqve hoc est, quod non solum supra, verum etiam in illo Tractatu dixi, Judæos nihil lucrari, nos nihil amittere. Et cum ego hoc ibi ad hanc objectionem responderim, mirum est Dn. Opponentem hic illam objectionem repetere, nec tamen ad meam responsionem aliquid reponere. Debuisset monstrare, quid Christianis damni aut Judæis lucri ex hac explicatione, sicuti ego monstravi, quid nobis ex illa lucri & illis damni. Si sine fundamento accusare sufficit, plures abusus ex illo Tractatu contra me allegari potuissent. Si vero solide mea refutare voluit, alia profecto via incedendum fuit. Num ad stipites & lapides, an vero ad homines rationales Dissertationem suam perventuram putabat?

§. 27. Sed



§. 27. Sed audiamus, quid præterea nobis narret. Sic vero pergit: *Meminisse debuissent illi Accentuum Doctores, E-saia verba in formulam præmialem & effatum esse divisa, & Accentuum authorem eam tenere consuetudinem, ut, quoties præmialis formula nullum plenum sensum sistit, ille etiam in ea non subsistat, sed maximam distinctionem in partem sequentis effati projiciat. Quod Es. XLIX, 4. patescit.*

וְאֵנִי אִמְרָתִי לְרִיבֵךְ הַנְּעִתִי לְתוֹרָתוֹ וְהַכֵּל כַּחֲ כִלְיָתִי

Scilicet hoc nesciebam, qui primus, genuina harum anomaliarum ratio quæ sit, ordine proposui, atque etiam hanc ad quam digitum intendit, explicavi. Vid. Diacrit. S. §. 211. 212. Sed meminisse debebat Dn. Opponens, se aërem verberare. (α) Hic non est formula proemialis: Sed habemus hic (a) Actum, (b) Subjectum, (c) effectum. Quod in ipso Tractatu monstraveram. (β) Datum exemplum non est ad rem. Loquitur in objectione de formula proemiali, quæ nullum plenum sensum sistit: in alato exemplo vero formula proemialis sistit plenum sensum. Nam in אִמְרָתִי אֵנִי habemus Subjectum & Prædicatum adeoque plenam propositionem. Non ergo ipsi Dn. Opponentis hypothese quadrat. (γ) Est quoque exemplum hoc verbis Esaia dissimile. Quia in illo non plura copulata; sed diversæ propositiones occurrunt. Cum Es. IX. una tantum sit propositio. Cum ergo allatum exemplum & tota obiectio εἰδὲν πρὸς ἕπθ, sine alia responsione, atque ullo meæ sententiæ damno illam dimittere possem. Quia vero video, esse hic aliquid, quod obijci possit, quamvis Dn. Opponens illud non recte proponat, nec fortasse viderit, propter alios, quibus dubium illud incidere posset, pauca addam. In Tractatu illo nihil de hoc dixi, non, quod non viderim, sed quia mihi tanti non erat. Res vero sic se habet. Multiplicantur interdum propositiones, tum alias, tum quoque quando plura copulata occurrunt, qualia & hæc Es. IX, 5. non satis attendentibus videri possunt. Vid. Diacrit. S. §. 220. Sed



Sed hoc est ἀνώμαλον, ut l. c. videre est. Anomala vero & extraordinaria non sunt admittenda, nisi pragnans adsit causa & necessitas urgeat. Vid. Diacrit. S. §. 225. Alias quidlibet ex quolibet fingi posset & omnia perverti. Simulac enim aliquid occurreret, quod displiceret, anomalon esse dicere possemus. Ergo, ut à nativa & ordinaria vocis significatione, sic nec ab ordinaria vocum interpunctione sine causa recedimus. Quæ vero causæ illæ sint, propter quas anomaliz statuentur. §. 226. explicatum est. Juxta illa, si hunc locum examinaverimus, non probari potest: in כּוּרֵי אֲנוּמָלוֹס esse positum. Nec ullam rationem nobis Dn. Opponens afferre potest, quare ab ordinario hic sit recedendum. Nisi forte dixerit, ab aliis hætenus omnes Titulos ad puerum natum esse relata. Sed, si hoc valet, Judæi dicere possunt, unum tantum suos Doctores ad puerum natum referre & semper retulisse. Si nos exempla sine ratione tuentur, cur non Judæos? Alia hic ratio requiritur, quæ & nos & Judæos doceat, quid pravum aut rectum. Quamvis vero in hac non sit anomalia, datur tamen in alia hujus Dicti voce. Nam 2 in פּוּרֵי אֲנוּמָלוֹס positus juxta §. 220. a & 226. Quomodo hæc Emphasis exprimenda & quæ ratio ejus anomaliz, in ipso Tractatu videre est. Ex quibus omnibus harum literarum periti facile viderint, hujus objectionis nullam esse vim. Imperitis & harum literarum ignaris frustra hæc inculcamus. Quamdiu enim quis fundamentum hujus artis non recte percepit, de nullo exemplo S. Scripturæ judicare poterit.

§. 28. Pergit: Si mihi objiciatur, Accentum 2 in פּוּרֵי alium sensum requirere, respondebo, hunc 2 esse minorem, quam 2 frequenterque eum sequi, si servus intercedat, uti Es.

XXIX, 4. observamus הִיָּה כְּאוֹב מֵאַרְצָא קוּרֵי Evolve si placet Num. IV, 7. ubi eadem Accentuum consecutio reperitur. Quoniam vero in nostro Esaiæ loco nulla vox servo afficienda prostat,

D

ut.



*ut excidat servus necesse est, eodem modo, prout in aliis Accen-
tibus idem fieri deprehendimus. Sic ille. Si quæris L. B. cum
qvo hic bellum gerat, me nescire scias, nisi forte cum umbra
sua. Hic satis patet Dn. Opponentem mentem meam & rem,
contra quam pugnat, non recte percepisse. Unde sane miran-
dum eum explicationem hanc refutare velle. Utrum hoc satis
dignum sit persona Christiani, Doctoris Theologi, Professoris
Publici, nec ne, alii judicent. Nec ego, nec ullus eorum, qui
Accentus rite tractant³ majorem statuit, quam², qui quoque
cum adest (non *frequentè*, sed) semper illum sequitur inter-
cedente servo ꝛ excepto hoc uno exemplo Ef. IX. Quæritur igitur,
cum in uno hoc nihil intercedat, cur non ꝛ ibi ponatur,
ubi³ stat²? Mysterium hic latere Accentus indicant, cum nihil
frustra fiat. Quodnam illud sit, nec hic nec alibi Accentus in-
dicant. Cum vero S. Scriptura alibi doceat, Tres Personas di-
stinctas esse in una Essentia Divina illud mysterium hic Hiero-
glyphice & quasi NB. addito indicari dico. Nisi enim inter has
Personas notabilis quædam differentia esset juxta §. 245. Diacrit.
S. talem interpunctionem non haberemus. Hoc in ipso Tractatu
p. 19. satis perspicue explicavi, atque non omnibus ad palatum
fore, prævidi. Dn. Opponentem autem, cum hæc refutare vel-
let, non accuratius hæc omnia examinasse, paratioremque ad
refutationem accessisse, merito miramur. Sed sic placuit.*

§. 29. Nunc coronidem contemplemur, quæ hæc est:
*Si denique defectus Subjecti appellantis urgeatur, qui necessario
adest, si omnia illa nomina Christo tribuantur, in promptu est re-
sponso. Omnibus enim, qui vel primis labris fontem Israëlis
gustarunt, notum est, quod frequentissime Subjectum appellans
subintelligatur. Vid. Glass. L. III. Tr. III. pm. 816. seqq. Sic Ille.
Sed & hic sine adversario fortis est Dn. Opponens. Omitti in-
terdum illud Subjectum, non negatur. Hic vero, an omissum
sit, quæritur, nec satis firmiter affirmatur per illud, quod alibi
omit-*




omittatur. Ab uno ad omne vel etiam ad alterum, N. V. C. Ubi non est, ibi addendum aut subintelligendum esse, necessitas frvadet: Ubi vero est, illud negligere, & data opera verba ad alia omnia trahere velle, perversus & infelix labor est; Præcipue hoc loco, ubi Accentus, ut qvi maxime, contra nituntur.


§. 30. Hæc sufficiant. Qvæ non διαφυλάττων τὴν δέσω, qvi multorum pravus mos est, urgeo: Sed qvia in conscientia me convictum deprehendo. Si Dn. Opponens eodem animo hæc examinaverit, aut mihi assensor erit, aut tamen meliora, qvam hæctenus, argumenta proferet. Qvod si fecerit, atqve argumenta mea ex vero hujus artis fundamento solide fregerit atqve contriverit, me non amplius contra illum pugnaturum promitto atqve recipio. Sin minus, frustra illum pugnare & pugnaturum esse, totus mundus videbit. Spiritus vero ille veritatis deducat nos in omnem veritatem, qvo S. Scripturam ita tractemus, ne illam nostris præconceptis opinionibus accommodare nitamur; sed totos nos ad DEI mentem & voluntatem conformemus, qvo nomen DEI Unitrini & Christi Θεανδρώως per omnia & ab omnibus celebretur, atqve non nostra, sed ejus gloria ubiqve & perpetuo qværat atqve illustretur.

האל ישירני אל הזכונה אמן

Calonymus.









omittatur. Ab uno ad omne vel etiam ad alterum, non est, ibi addendum aut subintelligendum el-
fyadet: Ubi vero est, illud negligere, & data o-
alia omnia trahere velle, perversus & infelix labi-
pue hoc loco, ubi Accentus, ut qvi maxime, contra

§. 30. Hæc sufficient. Qvæ non διαφυλά-
qvi multorum pravus mos est, urgeo: Sed qvia
me convictum deprehendo. Si Dn. Opponens eod-
examinaverit, aut mihi assensor erit, aut tamen m-
hactenus, argumenta proferet. Qvod si fecerit
menta mea ex vero hujus artis fundamento solide
contriverit, me non amplius contra illum pugnatu-
atqve recipio. Sin minus, frustra illum pugnare
esse, totus mundus videbit. Spiritus vero ille ver-
nos in omnem veritatem, qvo S. Scripturam ita tracte-
nostris præconceptis opinionibus accommodare nita-
tos nos ad DEI mentem & voluntatem conformem
men DEI Unitrini & Christi *עצמיתות* per om-
mnibus celebretur, atqve non nostra, sed ejus
qve & perpetuo qvaratur atqve illustretur

האל וישירני אל הזכונה אמן
Calonymus.

